

## Tekst 1

---

### *Apollo en Daphne*

497 Spectat inornatos collo pendere capillos,  
498 et "Quid, si comantur?" ait; videt igne micantes  
499 sideribus similes oculos; videt oscula, quae non  
500 est vidisse satis; laudat digitosque manusque  
501 bracchiaque et nudos media plus parte lacertos;  
502 si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura  
503 illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:  
504 "Nympha, precor, Penei, mane! Non insequor hostis;  
505 nympha, mane! Sic agna lupum, sic cerva leonem,  
506 sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,  
507 hostes quaeque suos; amor est mihi causa sequendi.  
508 Me miserum, ne prona cadas indignave laedi  
509 crura notent sentes, et sim tibi causa doloris!  
510 Aspera qua properas loca sunt. Moderatius, oro,  
511 curre fugamque inhiibe; moderatius insequar ipse.  
512 Cui placeas inquire tamen; non incola montis,  
513 non ego sum pastor, non hic armenta gregesque  
514 horridus observo. Nescis, temeraria, nescis  
515 quem fugias, ideoque fugis. Mihi Delphica tellus  
516 et Claros et Tenedos Pataraeaeque regia servit;  
517 Iuppiter est genitor; per me quod eritque fuitque  
518 estque patet; per me concordant carmina nervis.  
519 Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta  
520 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.  
521 Inventum medicina meum est opiferque per orbem  
522 dicor et herbarum subiecta potentia nobis.  
523 Ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis  
524 nec prosunt domino quae prosunt omnibus artes!"

525 Plura locuturum timido Peneia cursu  
526 fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,  
527 tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,  
528 obviaque adversas vibrabant flamina vestes,  
529 et levis impulsos retro dabat aura capillos;  
530 aucta fuga forma est. Sed enim non sustinet ultra  
531 perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat  
532 ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.  
533 Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo  
534 vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem,  
535 alter inhaesuro similis iam iamque tenere  
536 sperat et extento stringit vestigia rostro,  
537 alter in ambiguo est an sit comprehensus et ipsis  
538 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit;  
539 sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.

*Ovidius, Metamorphoses 1.497-539*

## Tekst 2

---

### *Uit de brief van Paris aan Helena*

163 Da modo te, quae sit Paridis constantia nosces:  
164 flamma rogi flammis finiet una meas.  
165 Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam  
166 pollicita est nobis nupta sororque Iovis,  
167 dumque tuo possem circumdare bracchia collo,  
168 contempta est virtus Pallade dante mihi.  
169 Nec piget aut umquam stulte legisse videbor:  
170 permanet in voto mens mea firma suo.  
171 Spem modo ne nostram fieri patiare caducam  
172 deprecor, o tanto digna labore peti.